

Wd  
2299





h. 65, 31. Ein Ernestus

Wd  
2299



Natalis  
ILLUSTRISS. & CELSISS.  
P. AC DN.

Dn. JOHAN. CASI-  
MIRI, DUCIS SAX. JULIACI,  
Cliviæ, & Montium, Landgr.  
Thuring. Marchion. Misniæ, Comitis,  
Marchæ, & Ravenspurgi, Dynastæ Raven-  
steinii, Dn. nostri clemen-  
tissimi,

GOTHÆ IN  
*Frequenti illius Celsitud. Consiliariorum,*  
*R. ministerij, Gymnasia Inspectorum Coss. Senatorumq;*  
*Reipubl. Civium, & hospitum*  
*confessu*

Solenniter celebratus  
ab  
Ejusdem Celsitud. Gymnasio XII. D. Junij  
Anno  
cl. lxx. xxi.

JENÆ Typis Johannis Weidneri.





Solennitas natalitia

*post*

DEUM TER OPT. MAXIMUM.

*Illustriss. Celsiss. P. ac Dn.*

Dn. JOHAN. CASIMIRO,  
Duci Sax. Juliaci, Cliviæ &  
Montium, Landgravio Thuringiæ, Mar-  
chioni Misniæ, Comiti Marchæ, & Raven-  
spurgi, Dynastæ Raven-  
steinii,

DOMINO SUO ET EVERGETÆ  
*Clementissimo.*

Pro

Ipsius celsitud. vitæ, incolumitate, gubernationis  
prosperitate.

*Piis & devotis precibus*

à

Gymnasilii illius Celsitud. Gothani,

Rectore & Conrectore

BIBLIOTHECA publice  
POMICKAVIANA consecrata.





*Rdds.*

*Amplissimis, Consultissimisq; & Prudentissimis  
VIRIS,*

**Dn. Superintendenti, Dia-**  
**coni s, Præfecto, Cofs. & Inspectoribus**  
Gymnasii, simul toti litterato Senatui, amicis  
& fautoribus suis plurimum  
honorandis.

S. D. P.




*Propediem appetit Il-*  
*lustriß. P. ac Dn.*  
**Dn. JOHANNIS**  
**CASIMIRI, Ducis**  
*Saxonia, Juliaci, Cli-*  
*via ac Montium & c.*  
*Dn. nostri Clementis-*  
*simi Natalis LVIII.*

*Quo jus fasq; est DEO ter-Optimo-ter Maxi-*  
*mo pro felicissimâ illius Celsitud. natiuitate,*  
*Vitâ, incolumitateq; atq; gubernamine Lau-*


A 2

dum,



dum, & gratiarum hymnos devotissimè decantare; simul pro iisdem eo ipso die, & deinceps secuturis omnibus clementer prosperandis, continuandisq; Vota, precesq; decernere calidissimè. Scilicet id erga DEUM PIETAS requirit, erga Illustrissimum nostrum humillima deposcit subjectio, sua cujusq; erga seipsum justitia suadet, & recta efflagitat ratio. PIETAS erga DEUM requirit? Maximè: Nulla enim nisi à DEO potestas est. DEI mandatum est, quò deprecationes, preces, postulationesq; & gratiarum actiones fieri pro REGIBUS, & quibusvis in eminentià constitutis jubentur. Erga Principem deposcit subjectio? Etiam. Felicis Celsitud. ejus, post DEUM, gubernationis esse omnino censendum est, quod suis, DEO, Saluti, recusis in otio, & tranquillitate, in tantis, tamq; dubiis Germania motibus, velificari subdititutò queunt. Cujusq; deniq; justitia suadet, & recta ratio efflagitat?

Quid-ni



Quid-ni suadeat? Quid-ni efflagitet? Quâ-  
vis bestiâ deterior sit, necesse est, qui talia,  
qualibus nihil majus datum hominum Votis  
est, gratâ mente non agnoscit. Barbaros legi-  
mus, unâ cum Fortuna bonis etiam Vita pro-  
digios pro Tyranni sui salute esse. Nos ve-  
ro pro Christiani, pro boni, & à bono patre ni-  
hil differentis Principis incolumitate, & sa-  
lute bona verba non impêdere, quo quid bar-  
baricum magis esse poterat? Qua propter na-  
talitias ejus Celsitud. ferias ad prid Junij  
die, quas proximus dies Martis, utinam fe-  
liciter! excipiet, festo Choro, festo ore, missa è  
templo concione, instituemus, & celebrabi-  
mus. Quibus ut propter Dei gloriam, Illu-  
striss. honorem, vestrum, sed & Gymnasi hu-  
jus, decus, interesse dignemini, ea, qua debeo,  
& possum, debeo autem omni, majori non pos-  
sum, à vobis peto, & contendo humanitate.  
Dabam è Museo ad D. August. ipsis Nonis  
Junij, Anno cl. lcc. xxi.

M. Andreas VVilckius Gymnasia Rect.



ORATIO PRIOR.

De  
ORIGINE, ET PROPAGATIONE CELEBRITATIS NATALIIUM, simul in eo considerandaquæ sint, cui celebrantur Natalia.

**N**æ admiramini, P. C. generis nobilitate, & eminentiâ, excellentia, R. dignitate, amplitudine, & prudentia honoratissimi, illustris, nostri Legate nobilissime! Vosque cæteri, qui adestis hospites & cives Auditores exoptatissimi! ecurr hoc potissimum die, & die profesto, vester ille frequentissimus, laudatissimusque confessus à nobis fuerit, missa in publicum quasi intimatione, conscriptus. Ecquid publica sibi solemnitas illa extra celebritatem, celebritas, extra festivitatem, festivitas, extra solennitatem velit, proculdubio ambagiosi, & solliciti quæritis. Quâ de causâ tam auspicata Musices, novô quôdam, & rarô suavitatis artificio temperatæ majestatis hoc tam insolenter personuerit auditorio ut picti tapetibus parietes isti, iste vermiculata columnæ, ista optimæ juventutis stipata flore subcella, variegatum tectum istud, & ista lucidiss. fenestrarum specula, ut mihi quidem videbantur, tota tremuerint, mentibus suspensis, & dubiis hæretis. Atqui,

VOS



ORATIO I.

vos o mei acceptissimi Auditores! desistite, quæso! admirari, anxie & sollicitè nequærite amplius, mentibus suspensis, & dubiis esse illico desinite. Ex laureatis privatarum ædium foribus, ex fenestrarum coronamentis, ex stratarum viarum sylvis, & frondibus, singularis cujusdam lætitiæ, & hilaritatis specimen & argumentum capitis. Ex floridâ illâ auditorii nitelâ, ex modesta ista discipulorum elegantia, ex ornatu, ex pompa hâc, quæ omnia curioso, & vago quodam oculorum obtutu arbitramini, insolitum quid, & ante id hac in Gymnasio hoc inauditum, cogitatione futurum præripitis? Et certè non sine bono omnino, non sine bono numine præripitis! *Solemnitas Gymnasio huic in celebritate, celebritas in festiuitate, festiuitas in solemnitate, si qua unquam, jam-nunc solemnissima, jam-nunc festiuisissima, jam nunc celeberrima jure merito instituitur.* Illuxit iterum pridianus Juniarum iduum D. &, quod bona hora exaudiat! felix *illuxit*, Illustris. P. ac Dn. Dn. JOHAN. CASIMIRO, Saxonie, Juliaci, Clivie, & Montium Duci, *illuxit*, Landgravio Thuringie, Marchioni Misnie *illuxit*, Comiti, Marchie, & Ravenspurgi, Dynastæ Ravensteinii, Domino nostro Clementissimo, Evergetæ, & nutritori, *post DEUM*, Opt Max. *illuxit*, faustissimus, ipsius celsitud. Principatui gratus & acceptus, *illuxit*, pacificus Rebus publ. Ecclesiis salutaris, Gymnasiis optatus, scholis benignus, omnibus denique nobis maxime desiderabilis, & expetitissimus *illuxit*. *O nididissima, o jucundissima, o felicissima lux salve!* Tu illa es, quæ summum patri gaudium,

deside-

VOS

ORATIO I.

desideratis. patri filium, Illustris. regioni Principem, opt. patriæ patrem, præsens subditis asylum, firmum bonis præsidium, triste sceleratis supplicium, inconcussum Rebuspubl. fundamentum, stabilem Ecclesis columnam, liberalem Gymnasis nutritorem, omnibus salutare & beneficium quasi quoddam *Nomen* peperisti! O iterum, atque iterum salve lux benignissima! salve sidus fulgentis. Eadem deinceps facie sapius illabere? eandem nobis, & posteris, *si futuri qui sunt*, perpetuam asserere felicitatem! Nascebatur Davidi Regi *filius*, secundum cor Dei viro, *Absolon*, nulla animi, corporisque dote carens; at in regni Israëliti pestem, patris persecutionem, fratris necem, populi pollutionem nascebatur. Nascebatur *Carolo IV. Imperatori Wenzeslaus*; Theristica bestia potius, quam homo dignus, Cuspiniani verbis, *qui non diadema in capite, sed laqueum in collo gestaret*, nascebatur. Nascebatur *Philippo. II. Hispaniarum Regi*, viro, Thomæ Lanfii eulogio non seculi sui, sed omnis ævi prudentis. filius unus, & unicus *Carolus* Regni hæres: at insidiis paternæ vitæ obsessor nascebatur. Scloppetulos binos summa arte fabricatos caligis gestabat, sicq; somnum capiebat, ut sub pulvillo duos gladios strictos & totidem scloppetos ad displodendum paratos semper disponeret, itemque duos majores scloppetos pulvere & glandibus oneratos in arca asservaret. *Sacerdoti* etiam confessus fuerat, habere se in animo, quendam occidere, & hac de causa *Absolutionis* repulsam passus, ab eodem petiit, ut sibi saltem, vitandæ publicæ offen-

In Vit. ejus  
f. 587.  
n. 25.  
Orat. pro  
Hisp. f. 236

gioni

ORATIO I.

ioni, panis non consecratus, coram populo, tradere-  
 tur. Philippus Rex hæc, & alia omnia edoctus, filii  
 conatus anteverit, ipsumque *conscientia, & Inquisitio-*  
*nis* senatui submittit, qui mortis sententiam dixit, Phi-  
 lippus pater subscripsit. Itaque Carolus tanquam  
 reus damnatus, vim passus ultimam, *Sol novus*, quem  
 proceres Hispaniæ jam adorabant, cum totius Europæ  
 stupore in ætatis oriente occidit, plurimis simul ad  
 istud *Bone Spei caput* naufragium facientibus, anno  
 Christiano, qui vatis versiculò exprimitur:

*FILIVS ante Diem patris InqVirt In annos!*

Horum natales seculis ipsis nefandi, temporibus invi-  
 si, bonis omnibus execrabiles, digni, qui non solum  
 Annalibus; verum etiam notâ plusquam Lethæâ ho-  
 minum memoriâ æternum excindantur. Illius qui-  
 dem Sarraceni hodieque prætereuntes probrò im-  
 manè quanto lapides Colosso incuriunt, manesque  
 ipsos vel diris execrantur. In istius *Furianum votum*,  
 strictum, & paratum est: in hujus moderni, patritiique  
 historiographi labe inelubili detonant natalia. Dum  
 verò Illustris. noster JOHAN. CASIMIRUS na-  
 scitur, atque in auras infans editur, equidem Chal-  
 dæus non sum; nec à delusa jam olim gentilitatis su-  
 perstitione genethliaca dependeo; facere tamen non  
 possum, quin asseram, tum cœli, astrorumque posi-  
 tum affluentis planè divinis faustiter adspirasse. Non  
 ignoro, quod *D. Basilus* in Hexæmero inspectionem  
 ejusmodi *occupatissimam* dixerit esse *vanitatem*: *Am-*  
*brosius* etiam *inutilem, & impossibilem*: Chrysofostomus

B

vanam,

ORATIO I.

*vanam, falsam, ridiculam: nec illud juxta cum ignarissimis non novi, quod D. Augustinus in Enchiridio scienter, simul & verè habet, ipsam temporum observationem, ut hac fausta, illa infauſta putemus, ad magnum peccatum pertinere.* Sed mitto auctoritatum tibicines, & sicuti apud Ammianum Marcellinum est, ita refero: quòd *Grammaticus interdum barbarè loquitur, & absurdè canit Musicus; & ignorat remedium Medicus; non ideo Grammatica, Musica, Medicina non subsistunt.* Ita nec Astrologia penitus contemnenda, quòd aliquot ex iis, qui ejus studium sunt professi, aut eadem abusi sunt, aut suis aberrarunt predictionibus. Meam sanè de Illustris. nostri *genetibus* assertionem est. ne qui aut possit, aut velit differere, cum vel ipso eventu infallibilis asseratur? Non quod *Albunazaris*, haut incelebris auctoris, quamquam sæpissimè fabulosi, meò probem calculò sententiam, inquentis; *qui Lunà Jovi conjuncta cum capite Draconis, DEO supplicaverit, quicquid petierit, proculdubio impetrabit;* nec ad severem ad stipulatoris ejus *Petri Aponensis* opinionem, qui eà se horà à DEO petiisse scribit, ac mox insigniter profecisse: sed quòd sciam celsissimi nostri natalia ab eo ipso momento, quo primas vitales auræ guttulas hausit, providentià divinà, Fatò singulari, Fortunà benignà inter tot infestissimas publicorum, privatorumque malorum agminatim irruentium intemperies, & Furias mirabiliter sanctificari, duci, dirigi, conservari. Interea temporis vel

Cæl. Rhod.  
l. 14. c. 96

ipsa

ORATIO I.

ipsa domus Saxonica affinis, & cognatae lineae, ne  
 alios è representi ad exprobatorem potius, quàm  
 comparationem in exempli consortium accersant,  
 nonne cum suo colluctatur Fato, ut à potenti solius  
 DEI dextera eventus etiamnum dependeat? E contra-  
 rio clementis. noster firma corporis constitutione,  
 prospero terrae suae gubernamine, florenti Ecclesiae,  
 Rerum publ. Gymnasiorum statu utitur. fruitur,

*Hic pietas, hic alma fides fert obvia gressus;  
 Terra fidem, caelo terras Astra relicto  
 Sancta colit, comes Astra bona copia caelo  
 Appluit, & decorat latantes frugibus agros  
 Et quacunq; premit DOMINUS vestigia,  
 gressus*

*Ante ferunt jus, fasq; suos, lis visq; dolusq;  
 Deserit, afflictae per tot jam tempora terras!*

Ut Buchanani illud, ex Psalm. XCIV. paucis  
 mutatum hinc inseram. Impius in DEUM, ingratus  
 erga Principem, in semetipsum injurius fuerit, qui ta-  
 lia his solennibus ejus Celsitud. natalium feriis gratissi-  
 ma mente non agnoscit, non de prædicat, non devo-  
 tissimis ad DEUM precibus veneratur. Unius alicu-  
 jus de scholâ hominis, non planè nihil de Ecclesiâ &  
 scholâ promerentis *Quinquagesimalia* ad publicum  
 usque applausum, & congratulationem nullius neq;  
 invidiam, neque odium veriti *festo organo festo choro,*

igna-  
 iridio  
 m ob-  
 pu-  
 e.  
 Am-  
 amari-  
 usicus;  
 ca,  
 ogia  
 i ejus  
 ut suis  
 astris.  
 it, aut  
 afferâ-  
 cloris,  
 culô  
 ta cum  
 it, pro-  
 orisc-  
 DEO pe-  
 sciam  
 uo pri-  
 ivinâ,  
 ssimas  
 natim  
 sancti-  
 oris vel

ipsa



ORATIO I.

& quidni? de osculantur, qui *præceptores suos cordiciter amant* & se illis plusquam aureis verbis gratos exhibent. Nos verò Illustriss. Principis, optimi Principis, Principis clementissimi, Evergetæ, & nutritoris nostri magnificentiss. natalem non celebrare, de vita, de incolumitate, de prosperitate celsitud. illius non gaudere, non congratulari, vota pro eadem non decernere, DEUM publicis, faustisque apprecationibus non demereri, quo quid homini subdito, quid grato alumno indignius, quid ignominiosius? Barbaros legimus in Principis & Tyranni sui gratiam cum fortunæ bonis etiam vitæ prodigos esse: Et nos in optimi Principis, in patriæ patris natalem unius *sesquiborii* opus impendere dubitabimus? ò nullus non barbarici damnatos, si fecerimus!

6. 4. 14.

Qua propter jure merito has genethliarum Illustriss. nostri ferias instituimus, & ita instituimus, ut earundem solennitas, Danielis Prophetæ verbis, cum altissimi in regnis hominum, & cui vult conferentis illa, atque abjectiss. inter homines super illa constituentis, honori; tum & clementiss. nostri virtuti velificetur. *Ipse de origine, & propagatione celebritatis Natalium, simul qua potissimum in eo consideranda, in cuius laudem habentur, hoc reliquo semiborio verba faciam.* Ut autem ad hæc ego singulari animi, & voluntatis propensione, & alacritate, sponte mea excitatus, nullius etiam rigorosioris *Catonis* censuram, aut nescio cuius *Theonis* dentem & *Momi* invidiam veritus, me huc in publicum sisto: Ita vos ipsi, ò mei Auditores!

eadem



ORATIO I.

eadem hoc faciliore, jucundioriꝛue auscultatione, & auribus, & mentibus suspensis haurietis, quo humilio- re, æquioreque affectu, erga PRINCIPEM vestrum estis subjectissimi.

Quemadmodum quæcunque in societate, & convictu humano vel fortuito, eòque notabili casu ac- cidunt, vel mediante prudentia, quæ propria censetur hominis, bene, ac laudabiliter geruntur, insigni alicu- jus notæ adjectione in diaria, & annales servandæ me- moriæ referuntur: ita primordiales illustrium ope- rum dies, & hominum natales memoriæ templo con- secrati immortalitate, si quæ inter mortales est, sem- per donati sunt, hodieque donantur, adeo ut nulla gens, populus nullus, nulla natio unquam fuerit, nec sit hodiè, quæ summa cum lætitia, pompa singulari eum diem, quo lucem hanc adspexit, non celebrârit, non celebret. Hæc solennitas sacris literis non unâ, contra quàm idioma, & proprietas fert; sed duabus ef- fertur vocibus  $\text{יום הולדת}$  Quod ad verbum cum Buxdorfio, dies nasci, vel nativitatis; at verò cum La- tinitatis ptincipe Cicerone *natalem* interpreteris.

Econtrariò verò Græcis una dictione γενέθλια, non γενέσια. Ammonium si admittis, hoc deprehendes discriminis γενέθλια τὰς αἰσῶν ἐπὶ τῶν ζώντων, καὶ ἐν ἡ ἕκα- στῇ ἡμέρᾳ ἐγενήθη, αὐτὴ καλεῖται γενέθλιον ἡμέρα; γενέ- σια δὲ ἐπὶ τῶν πεθνηκότων, ἐν ἡ ἕκαστῇ ἡμέρᾳ τετελήτηκε; an Latina mavultis. Hæc ita habent: Genethlia tri- buuntur vivis, & dies, quo quis natus est, natalitius di- citur: Genesis autem de mortuis dicuntur, & is dies,

ORATIO I.

f. 15.

quo quis moritur, emortualis. Interim ut dissimilo, Suidam utrumque pro eodem capere in γεναιότητα; γενέθλια ἢ δι' ἐνιαυτῶν ἑπιφοιτῶσα τοῦ τεχθέντος ἐορτή: γενέσια ἢ δι' ἀνιαυτῶν ἑπιφοιτῶσα τῆς τεχθέντος μνήμη, quod tribus verbis est, Genethlia natalis diei festum; Genesis ejusdem memoria. Caesaris Baronii, purpurati istius ex veteri nescio qua loquendi consuetudine in Martyrologio Romano, sub III. Nonas Januarii sententiam, qua Natalem pro die migrationis ex hac vita accipit, elegans latinæ linguæ usus non admittit, quicquid de Origenis, & D. Ambrosii autoritate deblatteret. Nasci & natalis; denasci, & denatalis, ut ita loqui mihi permittam, è regione sibi contrariantur, ut novum illum humani generis Pedagogum, sic Thomas Lansus J. Lipsium appellat, utroque usum non nesciunt, qui legerunt.

de Mun' o  
f. 103.

l. 1. Hexam  
6. 2.

Gen. 2, 2.  
& 3.

Hunc ritum, hanc consuetudinem, non procul absum, quin asseram antiquitate posse, vel cum ipsius universi hujus natali certare. Et quod assero, etiam vero consentaneum evinco. Postquam DEUS ter Opt. ter Max. incenarrabile, immensum, stupendumq; Mundi opus, quod Madaurensis Philosophi testimonio cæli & terræ societate constat, & eorum naturis, quæ utriusque sunt, majestate verbi sui, spatio sex dierum architectatus esset, atque cum D. Ambrosio loquor, in comprehensibili celeritate perfecisset; Moses, Propheta ille, qui ore ad os cum DEO locutus est, inquit: Et quievit DEUS die septimo ab omni opere, quod fecerat. Et benedixit diei septimo, & sanctificavit illum.

Ubi



ORATIO I.

Ubi inter alia sanctæ linguæ שׁוֹרֵקֵי occursit, cuius originatio שׁוֹרֵקֵי in specie, si Buxdorsii autoritatem probamus, Sanctificare designat. Sanctificare autem Hebræis, Vatablo interprete, ex vulgi numero segregare est: ut sit benedixit, atque sanctificavit diem septimum, *solennem, sanctumq; atq; venerabilem* habuit, hoc est, *Lyræ sententia ad divina obsequia ita applicavit*, ut homo VII. d. ab operibus terrenis cesset, atque in DEO *per contemplationem, & amorem requiescat*. Contemplatio autem illa, & ille amor in quo aut solennius, aut sanctius occupabitur, quàm in divinissimi creatoris operis natali? Hic DEI omnipotentis misericordiarum, & benignitatum fons, hæc erga hominum genus scaturigo. D. Ambrosium audiamus: gratias DOMINO DEO nostro ago, qui ejusmodi opus fecit, in quo requiesceret: *Fecit celum, non lego, quod requieverit. Fecit terram non lego, quod requieverit. Fecit solem lunam, & stellas, nec ibi lego, quod requieverit. Sed lego, quod fecerit hominem & tunc requievit, habens, cui peccata dimitteret!* O beatissimos, qui hunc natalem sine intermissione celebraverint! A divina hac solennitate cum aliis omnia; tum verè in primis *Natalitia Sacra* tanquam à summo capite sua arcessivisse, primordia, quousquisque hoc in auditorio, æquis talium rerum arbiter est, qui probabili mecum argumento, & conjectura non assequatur? Quemadmodum à DEI populo gentilitas ad superstitiones suas, & tenebras inextricabiles cum aliis plerosque ritus, & fictitiorum Numinum cultus repetivit; ita eandem

l. b. Hex.  
am. c. 10.  
& ult.

ab

Ubi

ORATIO I.

ab eodem suas εορτὰς, πανηγύρεις, ιεργμενίας, Θεοξενίας, γενέθλιας, τελετὰς, & omnem feriarum classem accepisse existimandum est, adeo, ut, cum iter habere rectum possent, devios sequerentur anfractus, planum desererent, ut per præcipitium laberentur, lucem relinquerent, ut in tenebris cæci, ac debiles jacerent. De quibus ante - ulterius quàm pergam, quæ in sacris occurrunt alia, paucis persequar Pharaonem, quem Pharaoten Josephus appellat, in Genesi legimus, natalem suum ita coluisse, ut non solum diem instituerit solemnem, natalitium suis exhibuerit manibus ministris convivium, Rex ipse, Dominus cum servis accubuerit: verum etiam, quod Philo de Temulent. l. inserit, ad ebrietatem biberit, unde factum, ut *luxuriantis animi* ministrum è carcere, principem pincernarum ad ministerium revocaverit. Eum autem istiusmodi conviviorum morem fuisse Athenæus meminit, ut statim ab initio eorundem accumbentibus *Corona* ἰδεγοίζοντες τοῖς μύρρις unguentis madidæ & irrorantes porrigerentur. Fieri id commodè omni tempore potuit: Ægyptus enim ob circumfusi aeris temperiem, & industriam olitorum copiosissima gignebat, & perenni foecunditate, ut nunquam non *rose, viola, alius quivis flos* suppeteret. Quanta verò, quamque insolita suum *Assverus*, qui in Chronicis ab Eusebio *Artaxerxes*, cognomine *Mnemon*, sive *memoriosus* dicitur, natalem coluerit magnificentiâ, scribi quidem, dicique potest; at eâdem vix - credi *facilitate*. Durârunt natalitiæ epulæ istæ Susis CXXC. diebus integris, Principibus,

Duci-

ORATIO I.

Ducibus, & CXXVII, satrapis, quos Josephus numerat; Et Diebus VII, aliis *Gentibus*, & harum legatis institutæ. Fixum tabernaculum, Fl. Josephi verbis, aureis & argenteis columnis, telis linteis, atque purpureis prætextum, multorum millium capax. Aureis & gemmeis poculis, simul ad delectationem & miraculum factis ministrabatur. In horto arbores nemorosæ, fructiferæ, aromaticæ florebant plurimæ. Historia Scholastica vitæ addit, cujus stipites argentei, palmites aurei, botri ex gemmis auro in sertis splendore mirifico præstrinxerint oculos. Quæ omnia de natalitia festivitate capienda esse, nemo negat, nisi in SS. Lingua hospes, & peregrinus. Eadem enim se hic vocula ingerit, quæ in natalitiis Pharaotæ dapibus usurpatur,  $\text{קָנַחַן בְּאֶרְבֵּי הַיַּיִן}$  quod inter alia solenniter convivari, largiter, & sæpius bibere significat. Id sanè parùm videretur, nisi Josephi accederet autoritas, qui Regem scribit, missis per omnes provincias nunciis, edixisse, ut *ab operibus feriati festum pro incolumitate REGIS aliquot diebus agerent.* Quò Herodoti illud l. 1, f. Gr. 29, l. 9, congruentissimè facit, quando, inquit: *ἡμέραν δὲ ἀπασέων μάλιστα ἐκείνην ἡμᾶν νομίζουσι, τῆς ἑκάστης ἐγένετο, ἐν Ἰαυση δὲ πλέω δαΐτα τῶν ἄλλων δικαιοῦσι προεθέαζον ἐν τῇ εὐδαιμόνεσσι αὐτῶν βοῦν, καὶ ἵππων, καὶ κάμηλον, καὶ ὄνον προεθέαζον ὅλως ὅπῃς ἐν κάμνοισι, ut Græca, si-ve ut Latina Laurent. Vallâ interprete præferunt; Persæ ex omnibus diebus præcipuè colendum censent suum quique natalem, nimirum hoc die plus aliis æquum, censent ciborum apponere.*

Duci-

C

Et ditio



ORATIO I.

Et ditiores integros boves, camelos, equos, asinos in fornace tostos in mensam apponunt. Sumptuosissimus isthic apparatus eccui rectius competere putabimus, quam Regi Persarum omnium opulentissimo? Herodis illi verò nomine Antipæ, Archelai fratris, tetrachæ Galliæ natalem Johannis Baptistæ, prophetæ maximi decollationem in custodia Macheruntina patrata æternum in eluibili infamiæ luberculâ notatam Evangelica historia commemorat. De quo D. Chrysostomus exclamat; ὦ συμπόσιον διαβολικόν! ὦ θεάτρον σατανικόν! ὦ ἀφρονιώτερον ὄρχησις! ὁ convivium diabolicum! ὁ Satanae spectaculum! ὁ iniquum tripudium, ἔμμερκεδὲν tripudii multo iniquiorem! Cædes enim omnium cædium scelestissima excogitabatur. Et qui coronari, ac laudibus in caelum efferri merebatur, percussus securi jacebat. Qui Dæmones vicerat, ejus caput post cædem mensæ inferebatur. Ecquis hoc diaboliarathrum non perhorrescat? ecquis diris omnibus non excretur? CHRISTI hominis natalem purissimi, sanctissimi quæ Angelorum chori præ gaudio cælo erumpentes, cælesti pompa, lætitiâ inenarrabilicelebrarunt. Meritò cæli locuti sunt, Angeli gratulati, Pastores lætati, Magi imitati, regesturbati, parvuli coronati, quod de suo mihi D. Augustinus largitur.

*Tom. 10. de Tem. serm. 1. de Nativ.*

Sed de sinotalium plura; ad ea, quæ in proximo sunt progressurus. Gentibus singulis, atque adeo urbibus suos esse mores, suaque instituta, suamque ad disciplinarum studia proclivitatem, fere notissimum

arbitror

ORATIO I.

arbitror: Ita summa iisdem diversitas in Natalibus celebrandis. Quis enim adeo *veterum memoriarum* insolens est, ut non nōrit, apud Ægyptios die emortu- licum irroboravisse morem, ut, decedente aliquo, ca- put sibi muliebris familia, & vultum luto deformaret; excurreret deinde per urbem, ac sese plangeret: viri autem sese renudatis pectorib. conerberarent: In Na- tali e contrario convivia haberent, quibus, ut in omni- bus, *sceletum*, id est, aridum jam, inveteratumque sale cadaver inferebant, illud incinentes, *ede, bibe!* quemadmodum natus fuisti; ita de nā ēris, talis post mor- tem futurus. Apparet id in Trimalcionis convivio apud Petronium, sicut à Lipsio refertur:

*Potantibus, & accuratissimas lautitias nobis admirantibus, inquit ille, larvam ar- genteam attulit servus, sic aptam, ut arti- culi ejus, vertebraq; in omnem partem fle- cterentur.*

Hanc cum super mensam semel, iterumque ab- jecisset, & catenatio mobilis aliquot figuras exprime- ret, Trimaltio adjecit:

*Heu! heu! nos miseros quam totus homuncio nil est,  
Sic erimus cuncti, postquam nos auferet Orcus.*

Addebantur coronæ: Unde Hellanicus apud Athenæum scribit, Amasin Ægypti regnum adeptum ob coronæ munus, quam elegantissimam veris tem-

Cal. Rhod.  
l. 28. c. 3.

Camerdar.  
Horis suc.  
part. 1. c. 12  
par. 2. c. 27.

l. 4. f. 146.

s in for-  
sissimus  
abimus,  
Herod  
etrachæ  
etæ ma-  
na patra  
otatam  
D. Chry-  
w γεαργov  
diaboli-  
um, &  
es enim  
Et qui  
atur, per-  
t, ejus ca-  
oc diabo-  
omnibus  
em puris-  
æ gaudio  
enarrabi-  
eli gratu-  
bati, par-  
nus largi-  
proximo  
e adeo ur-  
amque ad  
tissimum  
arbitror



ORATIO I.

pore ē floribus confecerat adhuc privatus, & per initia plebej<sup>9</sup>, regnantiq; tum Partamidi cum natalem celebraret, donaverit. Persæ pauperesa., nam de opulentis, & divitib. supra retuli, in Genethliis oves tenues, cibos per paucos, bellaria quidem multa, at non bona apponebant. Rex ipse Natalitiam quotannis, regiamque cœnam præbebat, eoque tantum die caput regio cultu adornabat, quæ cœna Persico vocabulo Tycta, Græco τελευτα, appellabatur. Id Plato sub Alcibiade I. expressit, referens, quod nato Regis Persarum primogenito, diem natalem quotannis tota Asia Sacris & festis celebrârit. Thraces hominum natales lachrymis, exequias verò tripudiis, & conviviis profecuebantur, quib. ob id Sapientiæ laudem Valer. Maxim. vendicat, quod sine ullis doctorum præceptis, verum conditionis nostræ habitum perviderint. Græci suis in natalitiis sacrificia Diis offerebant, & genialiter deliciabantur. Euripidem in Ione audiamus:

f. 32. n. 1

Val. Max.  
l. 2 c. 6.

vers. 1161.

θύσας δὲ γενέταις θεοῖσιν ἦν μακρὸν χρόνον

Μενῶ, παρθῦσι δαῖτες ἔσωσαν φίλοις,!

*Sacrificando Diis genitoribus, si moram longam*

*Fecero, presentibus amicis fiant convivia.*

Antiochus Epiphanes, quo nullum unquam prodigium inusitatus, nullum fædus monstrum, unde Epimanes dictus est, die natali suo Judæos ad sacrificandum vitæ supplicio coëgit. Athenis decimo, post nativitatem, die noctu genitalia fuisse habita à propinquis convivia, quæ ὀνομασῆρια, καὶ ὀνοματὸ θεσῆας Græci appellarint, Suidas tradidit, D. Tertull. Nominalia

appellat.

ORATIO I.

appellat. In qua rememoriæ proditum est, Timoleontem, Syracusanorum Ducem, præcipuas victorias semper Syracusanis, natali suo, dedisse, adeo, ut ipsius natalis diem omnes Siculi, veluti multiplicis victoriæ autorem, festum agerent sollemnissimè. At quorsum attinet in his me immorari singulis? Ad Romanos festinat, simul ad finem paulatim labitur oratio. Romani singulorum dies natalitios pulte, fritillo, mero, libis, floribus, & thure, sacra Genio sine animali hostiâ, læti, libentesque celebrarunt, quod Alexander ab Alexandro J. C. eminentissimus in Genialibus diebus ex Romana antiquitate erutum genialiter nostræ luci tradidit, ut deprehendet, qui eruditissimos ipsius libros evolverit. Illis diebus effudisse cruorem, aut animal mactavisse, mali portenti erat, & foedi auspicii, quippe erant hilaritati, lætitiæque dies illi sacratissimi. Nectantur: verum etiam honestabantur munerum, & Panegyrum missitatione. Soliti sunt viri docti opuscula sua ad amicos eruditos natalitij titulo, tanquam Panegyres, mittere, sicut Censorinus in Præfatione libelli ea occasione scripti, testatur. De muneribus apud Plautum Epidio:

*Non meministi me auream ad te afferre natali die?*

Xerxes in genitali cœna cum viris CLXV. accumbebat; & denariorum Italicorum CCXL myriadas pro muneribus natalitiis distribuebat, quod Athenæ. l. IV. Dipnosoph. memoriæ templo consecravit, cujus summa in nostræ monetae valorem à Casaubono collecta, sexaginta aureorum millia efficit.

Alexan. ab  
Alex. l. 4.  
cap. 20.

la 2. c. 22.  
ex. Plin. l.  
18. c. 8.

Aët. 5. l.  
34.

l. 4. f. 146.

ORATIO I.

Parum hoc videretur, nisi illud apud Dionem  
 Cass. Nicæum accederet: Cum genitalem festo Octav.  
 Augusto aliis alii immodice modis congratularentur,  
 Sextus quidam Paccuvius, quem alii Apudium nomi-  
 nant, omnium studia superavit, moresque Hispano-  
 rum se pro munere natalitio Cæsari consecravit, idem-  
 que ut facerent, aliis quoque auctor extitit. Id cum  
 Augusto impedire satageret, ad adstantes, Tribu-  
 nus enim plebistum erat, profiliit eosque & reliquos  
 per compita & angiportus circumvagando, ut factum  
 suum imitarentur, & sese Augusto emancipatos con-  
 secrarent, adegit. Augustus Imperator ipse ocellum  
 suum jucundissimum, sic Cajum appellat, apud Agel-  
 lium, litteris missis laudat, quod lætus, & benivolens  
 quartum, & sexagesimum natalem ejus celebrasset.  
*Adrianus Imperator* suo natali die spectacula gratis  
 dedit, ubi tam magnus numerus bestiarum cæsus est, ut  
 simul centum Leones, ac totidem Leænæ confectæ  
 sint. Athenis mille dedit feras in stadio, & gladiato-  
 rum munus per sex dies habuit. Sed quid immoror:  
 En vobis compendio hinc reliqua: *Natales Impp. Con-  
 stantini Magni*, IV. Calend. Febr.; *Constantini Junio-  
 ris*, VII. Id. Sextil.; *Antonini*, Calend. April.; *Veri*,  
 III. Idu. April.; *Adriani*, VI. Calend. Novemb.; *Ner-  
 ve*, IV. Calend. Decemb.; *Septimiani*, XIII. Calend.  
 Decemb.; *Gordiani*, XIII. Calend. Januar. Quorsum  
 pluribus opus? omnium magnificentissimè celebra-  
 tur.

Hunc morem, hanc Genitalium celebritatum

con



ORATIO I.

consuetudinem statim ab Apostolorum tempore  
 Christianos quoque incessisse ex D. Tertulliano liquet:  
 At non sine superstitione, & luxurie, Ethnicorum re-  
 liquiis; qua tanta, tamque furiosa libidine, incremen-  
 ta ceperunt, & tanto commessationum, voluptatumq;  
 abusu invaluerunt, ut à Synodo Nicæna fuerit damna-  
 tus, quod B. Rhenanus in D. Tertulliani l. de Corona  
 Militis annotatum reliquit. Quanta verò, quamque  
 tantum non indicibili copiâ, atque multitudine Ge-  
 nitalium Festorum solennitates etiam inter Christia-  
 nos progressu temporis adauctæ fuerint, & accumu-  
 latæ, eccui è doctorum collegio quorum;

fol. 508.

*E meliore luto Titan præcordia fixit.*

non liquidissimè constat? adeo, ut, quod de triginta  
 Ethnicorum Numinum millibus in orbe terrarum  
 cultis, à bonis autoribus circumfertur; idem ferè pos-  
 sit de Genialium festivitatum cumulo pronunciari.  
 Hæres hîc anceps animi, & dubius mentis? Age te  
 hinc ad Græcorum Menologium, ad Martyrologium  
 Romanorum, ad Christianorum Calendarium expe-  
 di, atque curioso quodam luminum obtutu arbitrare  
 inserta nomina mirum, si non tot Mariæ festa, tot A-  
 postolorum dies, tot sanctorum ferias, tot Martyrum  
 solennitates, quot totius anni horas, at ne quid men-  
 tiar, anni dies, inquam, deprehenderis. Dicerem hic  
 amplius de S.S. Patrum Homiliis, de Panegyribus non  
 facerem, non præterirem sermones, carmina non ne-  
 gligerem in natalium celebratibus scripta, dictaque,  
 nec non *Ligamina natalitia*, hodieque à nostratibus

ultrò

con



## O R A T I O I.

ultrò citroque transmissa commemorarem, si potius copia orationis conquirenda, quam devitanda auditorum molestia, & tædium esset. Quapropter hactenus productâ Natalium celebritatum Origine, & propagatione, simul plerisque earundem ritibus; Ubi in eo considerata quæ sint, cujus honoribus dies festus agitur, produxero, deposita oratione perorabo, & dicendi partes Poëtæ, atque collegæ nostro permittam.

Duo potissimum occurrunt, quæ considerata in eo statuo, cujus natales feriæ habentur, quorum in *Pietate* unum, in *Virtute* positum est alterum. *Pietatem* duplici respectu capio, qua celebrantium ferias, qua cui celebramus. Celebrantium pietas erga DEUM est beneficia ejus toto vitæ curriculo illi præstita, cui ferias instituunt, gratissima mente & agnoscentium, & deprædicantium plurimum. Hanc D. Chrylóstomus requirit, oportet, inquit, *εὐχαριστεῖν τῷ Θεῷ*, DEO gratias agere, quod eò die *hominem in lucem* produxerit. Et D. Ambrosius, *dies quo quis natus est, non ludis, non voluptatibus; sed totus precibus agendus.* Casau bonum super Persiò inter præclara multa & hac commentari legimus, Gentilibus fuisse *natali die magnâ religione vota concepta in annum proximum, & plures sequentes pro eo, cujus in laudem feriatos dies agebant.* Fecerunt id Ethnici? quid facere Christianos par est? Jure. merito cum D. August. exclamamus,

*Multa & innumerabilia bona fecisti nobis ò Domine! fac nos gratias agere, ut te*

*laudemus*

ORATIO I.

*laudemus, & amemus pro omnibus beneficiis. Tibi Laus ò DEUS, Tibi Gloria, Tibi gratiarum actio, nobis confusio, qui tot mala fecimus, & tot bona recepimus!*

Platonem legimus olim naturæ gratias egisse quod homo, non bellua, masculus, non fœminas, Græcus, non barbarus præsertim verò Socratis temporibus natus esset; Nos Divinæ Majestati laudum, & gratiarum hymnos purissimo corde decantamus, quod hoc ipso die L VII. annos Illustrissimum P. & Dominum, Dn. JOHANNEM CASIMIRUM, Dn. nostrum Clementissimum, nasci hominem, quòd Christianum nasci, quod a vita fide, & virtute ex stemmate Saxónico, Ducem nasci voluerit, & cum primis, quod vitæ ejus Celsit. periodum in hoc decretorium, & fatale seculum produxerit, cōservârit, prosperârit, quo, vigiliis, protectione, curis illius Celsitud. tam minus carere, quam oves inter lupos pastore, navis in agitata procellosissimis fluctibus mari gubernatore, milites in acie novaculæ constituti præfecto, possumus. Devotissimè optamus & hunc diem & plurimos alios deinceps secuturos quàm felicissimos agat, eternaq; laude florentem virtutis suæ gloriam & incolumis, & fortis aliis super aliis operibus augeat.

Pietas ejus, cujus laudibus consecrantur natalium feriæ in eo consistit, sine quo ad DEUM pietas, & cultus Numinis in hominum societate nec haberi, nec

D

pro

i potius  
la audi-  
r hacte.  
, & pro  
Ubi in,  
es festus  
, & di  
mittam.  
randa  
um in,  
ieratem  
s, qua  
DEUM  
ta, cui  
ntium,  
rylosto  
tis @eō,  
lucem  
tus est,  
gendus.  
ra & hac  
die ma-  
, & plu.  
agebant.  
par est?

isti no-  
ut te

audemus



ORATIO I.

propagari, nec asseri ab injuriis potest, quem *Religionem* uno nomine appellamus. Hæc | ea est, quæ universalem continet viam animæ liberandæ, quoniam nulla, nisi hæc, liberari potest. Hoc est *Canonicum iter*, quod ducit ad regnum, non temporali vestigio nutabundum; sed æternitatis firmitate securum. Hoc augustissimum iter quæsi verunt quidem, non autem repererunt illi, quantumvis rerum naturæ capaces Viri, quos prisca tulit ætas, etiamsi singulari studio, & solertia consecraruntur. CHRISTI pretiosissimus sanguis effusus referavit, & credentibus incomparabiles, majorum nostrorum memoria incognitos thesauros, etiamque infantili simplicitati patefecit. *Cecropem*, Athenarum conditorem plerique mirantur, quod omnium primus *Jovem* appellârit, simulachra reperit, aram statuerit, victimas immolârit, cum ante illum nemo ista inter Græcos perpetrasset. At ô temporum conditionem miseram! ô ineptam vanitatem! At nos serenissimam *Saxonia domum* miramur, quæ *Væ. Jovem* Tarpejæ arcis prima dejecit, simulachra Pontificia deturbavit, aras idolatricas subvertit, Misfarum immolationes expurgavit, cum ante illam nulla inter potentissimas universi orbis talia perpetrasset. O felicissimam illorum temporum conditionem! Et in ea Illustrissimum lumen JOH. CASIMIRUM & miramur, & immortalibus laudum encomiis extolimus. Quæ avus Celsitud. ejus paternus, | *Christianissimus Elector, præcellentium meritorum Princeps, strenuus JESU CHRISTI athleta, & sollicitus fidei Luthe-*

ORATIO I.

*cana defensor, sanguine suo, tanquam martyriò, acquisivit;*  
 Hæc Illustrissimus noster, tanquam *stella matutina, in medio nebulae meridionalis, disiectis omnium hærese-*  
*on tenebris fortiter propagat, in veritate asserit, suf-*  
*fectis sincerissimis Theologis conservat, & tuctur. Et*  
*sane quia sacrosanctissimæ ad posteros protollendæ*  
*Religionis officina alia non est, quam Scholæ & Gym-*  
*nasia, sine quibus rationale animal vel brutis infelici-*  
*us evadit; celsis. Dux noster non solum Gothanum,*  
*hoc à majoribus fundatum conservat, beneficiis locu-*  
*pletat, auget gratiâ & clementiâ quotidie fere novâ;*  
*Verum etiam Coburgense à se ex fundamentis exci-*  
*tatum, sedem Musis, nullis non beneficiis benignissi-*  
*mè ditatum, immortalem consecravit, atque viris un-*  
*dique exornavit doctissimis. Sæpeque numero usur-*  
*pare ipse sermone quotidiano assolet, se quasi oculos sua*  
*habere Gymnasia, quibus omnis Ducatus suus clarissi-*  
*mè collustratur. Et quidni? Ex his enim, præcipue hoc*  
*Gothano annis centenis jam amplius tamquam ex*  
*Equo Trojano se viri in omni disciplinarum genere,*  
*eruditissimi in Ecclesias, in aulas P. P. in Respublicas*  
*summo cum emolumento & laude immortaliter effude-*  
*runt: Et intra hos proximos XXX. superiores annos*  
*hodieque, eccur enim non dicam? DE I non nostra gloria*  
*est! attende tu viperine Livor, qui nostram disciplinam,*  
*dente plusquam Diabolico sepe, at sine causa & frustra, ar-*  
*rodit! sese ita effundunt, ut vix ulla in tota Germania,*  
*ne extra Germaniam dicam, floreat Academia, in-*  
*quam non tanquam amœnissimum Musarum hortum*

ORATIO I.

aliquis flosculus fuerit ex *bâc arcola* transplantatus, de Ecclesiis, P. P. aulis, Rebuspubl. Academiarum professionibus taceo: *quorsum enim verbis opus est? ubi publicarum suppetunt testimonia? vis. ne? exhiberi possunt.* Nec verò ob id inter laudes Illustriss. nostri illud postremum posuerim, quod erogatis munificentissimè beneficiis impensè fovet in Academiis liberalia ingenia, & dignis præmiatur honoribus. *Proprium id est PP. decus, quòd in nullo plus emicat hîc nitor quàm in Principibus.* Unde illud ex Homero Platonis interpretatione est; *Deorum discipulos non alios esse, quàm Principes.* Ab exercitu Cato Rhodum non navigasset, ut Athenodorum audiret; nec Panætium Scipio videre concupiisset; nec C. Julius Cæsar, Romanæ Monarchiæ conditor, ad Poëtarum Collegium tam frequenter visisset, nec denique annua centena primus è visco T. Vespasianus Græcis, Latinisque PP. præmiationem constituisset, nisi *tantum è Scholis* vel ornamenti in prosperis, vel in adversis perfugij esse judicavissent. Prodeat nunc aliquis, & hunc clementiss. nostri statui illam Augusti Imp. passim, certatimque ab auctoribus celebratam comparet felicitatem: quantulam deprehendet? quàm pusillam? quàm prorsus nullam? ipse sibi tamen nimis in ea placebat, & plausibiliter ablaudiebatur. Cum enim Cajum ex filia nepotem in Armeniam mitteret, comprecaturum ipsi ferunt à Diis comitem *Pompeij benivolentiam, Alexandri Magni audaciam, suam ipsius fortunam.* At ô fortunam infortunatissimam!

Sed

ORATIO I.

Sed pergo, ipsi vos Auditores!

quã virtutem hîc velim, de cetero accipite. Tribus  
 verbis, quæ *Rebus publ. sit conservandis, augendis, prosper-*  
*randis.* Hæc in Principe nostra tam prompta, tam pa-  
 rata est, ut, si *Justiciam* velim, se *Fortitudo* ingerat: Si  
*Fortitudinem* eligam, *Pax* anticipet. Quam primo,  
 quam ultimo statuam loco, vix invenio. *Ædes & præ-*  
*itu Justitia,* quæ aliquo modo *tota virtus, & quasi ag-*  
*gregatum quiddam ex cunctis virtutibus es.* Ipla, ceu  
 purpura Ducem nostrum circumdedisti, expansis ul-  
 nis ultro obvia. Nobilibus, divitibus propo-  
 sita, pauperibus porrecta, toti Regioni  
 munimento, bonis præmio, sceleratis sup-  
 plicio, exteris perfugio, hostibus terricu-  
 lamento, auxilio omnibus.

Evincit id magnificentum *Consiliariorum* in Aula Celgit.  
 ejus Collegium; Evincit in Ducali ejusdem sede *Dica-*  
*sterium* commune omnium tribunal. Utrumque hoc  
 palatium quasi, quam bene laudabiliterque est *Viris,*  
 quâ *Pietate, integritateq;* vitæ, quâ *juris & equi scientiã*  
 quâ denique *rerum omnium* usu & experientia Consul-  
 tissimis, Nobilissimis, Excellentissimisque & Amplif-  
 simis constitutum, pluribus ut efferam nec illorum  
 gravitas, & modestia, nec meus me pudor admittit.

Sequere *Fortitudo!* Ipsa quæ oportet, & cujus  
 gratia, & quando, & ut convenit, sustines, ac metuis,  
 & audes, & ob id *Fortitudo es!* Quanta & quam dictu

O R A T I O I.

gravia, auditu aspera, quamque convenienter, Illustr. noster à primis annis sustinuerit, intelligitis quid velim, Auditores! atque etiam num circacircum armorum strepitus, scloppletorum fulmina, gladiatorum stricturas intrepidè sustineat, & perferat, non dico, ne illud recrudescere vulnus faciam; de his verò quid ominari videar.

*Pax* rerum optima, gratissima tranquillitas tandem agmen, simul & orationem claude! sub Illustriss. P. nostri *florētissime R U T Æ* clypeo, tanquam *Numine & munimine* publica quies in Templis, Curiis, Urbibus, agris, villis, domibus caput tutissimum profert, & tantum non condit inter nubila. Devastata fuit, & pene occisorum sanguine diluviavit Bohemia, attentata Austria mota Ungaria, Silesia concussa, afflicta Moravia, territa Alsatia, obsessus Palatinatus, Franconia etiam-num sub iniquis: exercitus pondere gemit, nutat, tremit: Celsissimi nostri *Ducatus* imperterritus, ubique rerum omnium lætissima facies, concordia suavissima nitor pulcherrimus. Ringatur *Eris*, frendeat *Ate*, *Furie* debacchentur, sub omnipotentis DEI manu inconcusus JOHANNES CASIMIRUS cum regione sua subsistit. Turbet cœlum, terra tumultuetur, mare fremat, JOHA. CASIMIRUS pace, & tranquillitate intrepidus perdurat. Nimbi depluant, tempestates strepant,



ORATIO I.

strepant, hyemes sæviant, fulmina tonent, sursum, de-  
orsumque ferantur omnia, pace, & tranquillitate  
JOHANNES CASIMIRUS non movetur, Sym-  
boli sui veritate nixus & fixus,

**Friede ernehrt/  
Unfried zerstöhrt.**

*O misericordissimi D E I beneficium beneficiorum  
maximum!* Hanc prosperitatem aris, & focus nostris  
vel orcus & orbis invideat: Tamen *bono cum D E O,*  
tanto, & tam incomperabili, quo nullum majus ho-  
minum votis datum est, gratissimis mentibus utimur  
fruimur. Plurima sciens, prudensque prætereo; illud  
tantum adjicio: His, aliisque pluribus virtutibus pa-  
triâ, avitaque gloria Illustrissimum nostrum non infe-  
riorem esse. O felicissimum Principem, qui inter  
tot, tantasque novercantis Fortunæ adversitates, à tan-  
ta temporum injuriâ & iniquitate Serenissimorum  
majorum suorum decus divinis istis virtutibus asserit  
& vindicat omnibus. Hoc tantum, tamq; divinum  
beneficium frequentissima, florentissimaq; juvenus  
nostra, futuræ posteritatis fundamentum, Ecclesiæ  
firmamentum, Reipubl. armentarium, devotissimo  
gratissimo debitæ subjectionis cultu nobiscum agno-  
scit. Et quia simul omnibus loqui non datur, quod ta-  
citi mentibus, & animis omnes conceptum  
habent, unis ore omnium & voce  
pronunciat:

*Illustriss.*

Illustr.  
quid ve-  
armo  
iorum  
co, ne  
quid o.

quillitas  
! sub  
clypeo,  
n Tem-  
aput tu-  
ubila.  
anguis-  
ustria  
flicta  
Palati-  
iquis:  
emit:  
ererum  
na nitor  
Furia de-  
concus-  
ione sua  
nare fre-  
uillitate  
pestates  
strepant,

ORATIO I.

*Illustrissimus Princeps ac Dominus,  
Dn. JOANN CASIMIRUS, Dominus noster Cle-  
mentissimus, tot, tantisq; & tam divinis virtutibus ac  
beneficiis hoc natali & deinceps cunctis secuturis diebus  
vivat, valeat rectissime!*

Etiam faustissima quæque solenni acclamationis  
forma eidem apprecatur:

*Illustrissimus Princeps & Dominus, Dn. JOHAN  
CASIMIRUS, Dn. noster Clementissimus, Evergeta,  
benignissimus, tot, tantisq;. & tam divinis virtutibus ac  
beneficiis hoc natali, & deinceps secuturis cunctis diebus  
vigeat, floreat diutissime!*

Et diuturna calidissime vovet, & optat;

*Illustrissimus Princeps & Dominus. Dn. JOHAN  
CASIMIRUS, Nutritor noster munificentissimus, tot,  
tantisq;, & tam divinis virtutibus ac beneficiis, hoc nata-  
li, & deinceps cunctis secuturis diebus regnet, vincat feli-  
cissime!*

Fiat! Fiat! ô bone JESU fiat, ad nominis tui  
Gloriam, Ecclesiæ ædificationem, totius Regionis  
protectionem, ipsius Illustris. PRINCI-

PIS nostri immortalitatem,

DIXI,

*M. Andreas Wilkius,  
Gymnasi Rector.*

ORATIO POSTERIOR  
IN NATALEM LXVIII.

*Illustrissimi Principis ac Domini,*

**DN. JOHANNIS  
CASIMIRI, DUCIS SAX:  
Juliae, Cliviae, & Bergae, Land-  
gravio Thuringiae, Marchion: Misniae,  
Comitis Marchae, & Ravenspurgi,  
Dynastae Ravenstenij, Dn.  
nostri Clement:**



**ANNO MDCCXXI.**

minus,  
ster Cle-  
utibus ac  
is diebus

nationis

JOHAN

vergeta

utibus ac

is diebus

tat;

JOHAN

imus, tot,

hoc nata

incat feli-

minis tui

Regionis

Cl-

Wilkius,

tor.



*Clarissimo & Eximio VIRO*

DN. STEPHANO CORNARIO,  
Jcto & Poëtæ Cæs. ex præstantissimis uni,  
Cameraëque Illüstri in Aula Saxo-Coburgicâ  
à Secretis; Adfini honoratissimo,  
S. P.

Alter ab undecimò Phœbus cum fulserit orbi,  
NATALEM celebrat PRINCIPIS Aula sui.  
Quid nos, quid, STEPHANE? Exemplum quo  
que tale secuti

Dicemus sacrò verba sacrata die,  
Si vacat, ergo Gotham TU, FRATER, HUGOq; ve  
Et lumen nostris addite parjetibus. (nite,  
Subsiliant vestrum ad conspectum nostra Licæa,  
Crispabitque suas noster Apollo comas.  
Vos sed adesse velim, cum septima temporis hora  
Dat signum, postquam concio missa fuit.  
Sponde pro reliquis reliquorum nomine; namque  
Te capient talistædia nulla viæ.  
Ergo veni, VOS immò simul CATA CORCULA  
adeste!

Atque, ut possitis, rite valete simul!

M. J. W.

ORATIO

ORATIO II.

IN NATALEM LXVIII.

*Illustrissimi Principis ac Domini,*  
DN. JOHANNIS CASIMIRI,  
DUCIS SAXONIÆ, &c.



*Urgite Pierides! taciturna silentia*  
*lingue*

*Rumpite facunde, gaudia nostra, Dee!*

*Vestra nec infausus laceret catapectora morsus,*

*Nec dolor infestis unguibus ima secet.*

*Concava littorei Sol intrat brachia Cancri,*

*Funji ab undecima luxq; secunda fluit.*

*Ite procul cura, evanescite pectoris umbra!*

*In nigra nox, & lux letitie alma veni!*

*Quod bene sit! linguis animisq; favete benignis,*

*Quotquot alunt Clarie Bellerophontis aqua.*

*Sannio livescat, ringatur hypocrita, fucis*

*Qui sese atq; alios pingere vanus amat:*

*Quemq; amor iste sui titillat, hyperbolus est*

*Viperea piceus conflagret invidia.*

*Quod bene sit! nostri natalem Principis adfert,*

*Latitie plenum, lux hodierna diem.*

*Prodiit ætherias hac JAN CASIMIRUS in oras.*

*O sacra divini festa puerperii!*

*Feste dies, auguste dies! adscribere fastis*

*Quem ventura suis secula jure queunt;*

*Dicite jo, bis jo, ter dicite jo, quater jo!*

*Quotquot in Aoniò nomen habetis agrò.*

ORATIO II.

Quotquot & ætherios Flatus sacer armat in ignes,  
 Promite solennes pro D U C E rite preces!  
 Vosq; D U C I lucem cives orate serenam,  
 Ut dubiò migrent turbida flabra polo!  
 Utq; nigras abigens compressò turbine nubes,  
 Abstineat pluvias humidus Auster aquas:  
 Æole, ventorum tempestatumq; furentum  
 Rex, antri gelidò carcere tolle caput:  
 Tolle caput, rapidosq; preme intra limina flatus;  
 Ut sileant fratrum murmura rauca, jube!  
 Tuq; adeò Titan, cor cœli, lucis origo,  
 Abscondi radios ne patiare tuos.  
 Sed jubar auricomum sollemnibus exsere pompis,  
 Atq; infer sudum pulcer honore diem!  
 Prodiit ætherias hac JAN-CASIMIRUS in oras.  
 O sacra divini festa puerperij!  
 Tura camille adole, spicæq; unguenta Cilisse  
 Profer, & apricam quicquid odorat humum.  
 Sparge manu violas pallentes atque amarantbos,  
 Et caltha aureolas Phœbisequasq; comas;  
 Iridaq; & thyma, tum quoq; dulce-rubentem byacintbum,  
 Et quicquid florum lucida Chloris habet.  
 Egere veris opes omnes, Majiq; colores  
 Purpureos, prasinos, coccineos, croceos.  
 Præcipuè Rosa, quæ candet, quæ purpurat aurò,  
 Induat balantes in nova ferta comas;  
 Nempe D U C I S quin & stellata monilia gemmis  
 Exornent collum & pectus honore D U C I S.  
 De validisq; tonent tormenta fragosa boentq;  
 Mœnibus, accensos igne vomente globos.

Tota

ORATIO II.

Tota DUCIS, DUCIS est hac unius unica lux; quæ  
 Illius in laudes omnia laude sonent.  
 Tempia Scholæq; DUCIS natalem voce celebrem;  
 Ipsum &, quò possunt, oris honore crepent.  
 Prodiit ætherias quò JAN-CASIMIRUS in oras.  
 O sacra divini festa puerperij!  
 Si qua dies, quot quot bis. sex per sidera motu  
 Volvere inexhaustò Sol radiosus amat,  
 Felicis signanda notà meliore lapilli;  
 Hac signanda dies est meliore notà.  
 Hac plus Pierij saltus silvæq; virescant!  
 Auctior & solito Castalis unda fluat!  
 Fausta hac verba sonent, plaususq; ac omnia læta:  
 Nostra ad finia sint omnia lætitia.  
 Hoc jus, hoc fas est. Equidem si carmen in unum  
 Adnitar laudes cogere mille DUCIS;  
 Equoris Jonij cumulos adnitar arena,  
 Lucentesq; poli pernumerare faces.  
 Si tamen est locus hic magna inter nomina parvis;  
 Differar in laudes, DUX animose, tuas.  
 Non quia temeritò confidam attollere cantu;  
 Sed veluti Cereri spicea ferta damus.  
 Te tua TE pietas astris plaudentibus infert,  
 Atq; parem augustis maxima reddit Avis.  
 Hec Cynosura tuis, Helice hæc est unica cunctis  
 Captibus; in creperis est Ariadna viis.  
 A pietate fluit liquidò sapientia rivò;  
 Ceus salit æterna vena perennis aqua.  
 Cui pietas urit flammis generosa medullas;  
 Quem tetigit jaclucertus ad ossa DEUS:



ORATIO II.

*Sive illum rabida circumtonet unda Maleæ,  
 Carpathias equitat trux ubi ventus aquas;  
 Seu miser in Maurâ currum defixit arenâ,  
 Cum patitur tumidos irrequieta Notos;  
 Fert majora tamen mala sospes, & absq; periclis;  
 Atq; minas ridet stantis in orbe Dea.  
 Ac tolerat, quoscunq; tonans fors ingerit, ictus,  
 Exanimesq; metus, terribilesq; sonos.  
 Dat pietas, summos ut nactus alumnus honores  
 Commoda perpetuò vitæ utriusq; ferat  
 Tot numerò, radiant quot pulcra vibramina lucis  
 Noctè per astriferi lucida texta pepili:  
 Quotq; puer flores annus, juvenis quot aristas,  
 Poma vir autumnus, datq; senectæ nives.  
 Cui comes est pietas, per inhospita saxa, per ignes,  
 Incolumis tutas itq; reditq; vias.  
 Quòd Te igitur servat præsentis numine Numen,  
 JAN CASIMIRE, tuum consolidatq; thronum;  
 Promimus hinc meritas devoto pectore grates;  
 Devotoque damus pectore rite preces;  
 Ut porro serostueatur Numen in annos,  
 Et TE præsentis numine servet idem.  
 PRINCIPE TE non est Princeps servantior equi,  
 (Quid mala me mordet lingua? faceffe procul!)  
 Quà Sol Carpathiis à montibus ortus ad usq;  
 Oceanum rigidi Teutonis arva videt.  
 Nulli iusticiæ clausa est via; leta patescit  
 Omnibus, haut vincit gratia, frausq; mala,  
 Non favor eludit miserorum vota clientum  
 Eventu dubii pendula sepe fori.*

Non



ORATIO II.

Non mora frustratrix tricus sufflaminat ullum,  
 Nec legum in dubias compita secta vias.  
 Usq; tamen mollit moderatio recta rigorem,  
 Et jacit invitâ fulmina rara manu.  
 Nempe diu durant moderata; sed impetus omnis  
 Maxima pessundat, proruit & minima.  
 Et nâ eos sine mente refert sine lumine fratres;  
 Qui ferus est, quem non mens moderata regit.  
 Vindicta cecis fervet qui motibus, igni  
 Est similis, stipulas qui cremat atq; trabes.  
 Sola Diis aequat custos Clementia mundi,  
 Astraq; calorum per radiata vebit.  
 Saxonia heroes iter hoc tenuere vetusti,  
 Quos celebrat miris fama secunda modis.  
 Hos Notus & Boreas, & quâ domus utraq; Pbaebi est,  
 Gloria de Letbes adserit alta lacu.  
 Deturpant scelerum sordes maculeq; tyrannos:  
 Quos simulac vitæ pausa secuta fuit,  
 Ilicet æternos recoquuntur in ignibus Orci,  
 Et vada sulfureo vortice nigra bibunt.  
 Quod TE igitur servat præsentî numine Numen,  
 JAN-CASIMIRE, tuum consolidatque thronû;  
 Promimus hinc meritas devoto pectore grates;  
 Devotoque damus pectore rite preces:  
 Ut porrò seros tueatur Numen in annos,  
 Et TE præsentî numine servet idem.  
 Sub TE colla levant Muse: felicibus inde  
 Ingeniis dignum per TE aperitur iter.  
 Ipse novis auges antiqua solaria; nullis  
 Sumtibus & parcens, templa scholasq; juvas.

Excipis

ORATIO II.

Excipis hospitio Phœbum nutritq; Camœnas;  
 A quibus in cunctos depluit alma salus.  
 Semper enim largus de vertice Apollinis imber  
 Manans in gremium stillat biantis agri,  
 Et medicatur humum Panaces humore liquenti,  
 Atq; salutifera corda focillat ope.  
 Hinc capit irriguos arens Ecclesia rores,  
 Et fructum ubertim non sine laude metit.  
 Hinc stabilita novis Respublica dives alumnis  
 Floret, & egregium tollit ad astra caput.  
 Atq;, velut ventis agitata furentibus ilex,  
 Despicit horroni flamina cruda Noti.  
 Non herus & dominus, non questor & institor esse  
 Gestis, sed patriæ tutor & esse pater.  
 In gremio Schola nostra tuò cubat, egide tuta  
 Præsidij, momum pro nibiloq; putat:  
 Cerbereos pandit cui sueta Calumnia rictus,  
 Lingua venenatas cui mala torquet acus,  
 Scilicet! è tali querit sibi crimine nomen,  
 In cuius plausus tota theatra sonent.  
 Ut quondam fanum Trivia qui nobile flammâ,  
 Laudatasq; asie scurra cremavit opes,  
 Non ira studio, sed fame captus amore  
 A magnò voluit nomen habere rogò.  
 At stolidum vindex ut Gracia plecteret, illud  
 Immemori iussit nomen ab ore premi.  
 Non Psyllo nostro fiat, quod Gracia fecit;  
 Nomen at à serâ posteritate ferat:  
 Dente Theon, animò Timon, sine mente Corabus  
 Quòd fuerit, Gothica Tisiphonèq; Schola.

At tu

ORATIO II.

*At tu magne facis nostris DUX oia Musis,  
 Condignò doctos semper babesq; locò.  
 Quòd TE igitur servat præsentì numine Numen,  
 JAN-CASIMIRE, tuum consolidatq; thronū;  
 Promimus hinc meritas devotò pectore grates;  
 Devotoque damus pectore rite preces;  
 Ut porrò seros tueatur Numen in annos,  
 Et TE præsentì numine servet idem.  
 Prospice TE, calò DUX ô gratissime, rerum  
 Optima Pax, olea fronde revincta comas,  
 Aurea pax, nostris tentoria figit in oris,  
 Atq; facit Martem luctificum esse procul,  
 Pace nihil melius, nibilest jucundius orbi:  
 Pax hilarat mentes, pressaq; corda levat.  
 Pace vigent leges, virtusq; triumphat in orbe;  
 Pace viget pietas, religioq; nitet.  
 Pax fovet ingenuas mitis feliciter artes:  
 Pax vites nutrit, pace coluntur agri.  
 Vertere Marte suos populos & regna laborent,  
 Sanguineâ quis faux ardet an bela siti.  
 Exulet bis porrò terris Bellonaq; Marsque;  
 Iraq; erata vis truculenta cadat,  
 Præsentì articulo! quò spirant omnia lites,  
 Exilium intentant singula & excidium,  
 Et passim exultans resonat taratantara Enyo,  
 Mars & adest cunctis linguæ in acuminibus.  
 Crudelem ô verè, tragicag; agitatam ab Erinny!  
 Sceptra putat Pacis qui potiora bonis.  
 Quam foret hâ satius, positis civilibus armis,  
 Jungere constanti federa nexa fide!*

F

Et simul

At tu



ORATIO II.

Et simul adniti, Bellona ut versa fugacem  
 In cursum, stygias quarere abiret aquas.  
 Quid rabies ferri cognata in viscera serpit?  
 Quid proprias urit noxia flamma domos?  
 Ira, furor pereant, Timor & mala semina belli!  
 Et placida augustas neclat oliva comas!  
 Est germana soror pacis Concordia in aurum  
 Hac lateres vertit, gignit & omne bonum.  
 Stramineas facit esse casas Concordia turre; ;  
 Hac urbesq; potest reddere marmoreas.  
 Rem minimam ex facili Concordia servat & auget:  
 Differitas discors perdere magna solet.  
 Dejicit ex altò summas Eris improba moles,  
 Et facit, ut subito, quæ volvere, ruant.  
 Scissa cadunt, disjuncta fluunt, divisa premuntur:  
 Sed, quæ juncta, vigent vi stabilita sua.  
 Quòd Te igitur servat præsentì numinè Numen,  
 JAN CASIMIRE, tuum consolidatq; thronum;  
 Promimushinc meritas devoto pectore grates:  
 Devotoque damus pectore rite preces,  
 Ut porro serostueatur Numen in annos,  
 Et TE præsentì numine servet idem.  
 Salve DUX, salve! DUX augustissime salve!  
 Natali salve terq; quaterq; tuò!  
 TE salvò nostras sunt omnia salva per oras.  
 In TE felices, JAN. CASIMIRE sumus.  
 Ad calum pro TE, pie DUX, mea brachia tendo,  
 Concipioq; pias in tuà vota preces;  
 Ut valeas rectè, nec Te dolor angat amarus,  
 Ferrugo lucem nullaq; contemeret.

ORATIO II.

Nulla tibi occurrant atri vestigia luctus ;  
Sed sint fortuna fata benigna tua.  
O videas longe placidissima tempora vita!  
Inq̄ poli nitidi Sidera serus eas!  
Vince senem spaciò vitali Nestora ; nec te  
Ætas ex ulla parte senect̄a gravet!  
Sed quocunq̄ pedem defiges, nobile ibi lac  
Manet, & ambrosij mille saporis aqua.  
Det, qui stelligeri tabulata nitentia templi  
Irrequiete potens, J O V A, quiete regit ;  
Menses, hebdomadaq̄, diesq̄, horaq̄, dierum,  
Horarumq̄, apices punctaq̄, cuncta, Tibi.  
Porrò fluant animi ad nutum, D U X optime ; discas  
Ut digitis annos enumerare tuos.  
Hoc precor, hoc voveo, hoc tibi nostra Lycæa precantur ;  
Hoc sacra templa vovent : A U L A precatur idem.  
At tu, Natalis, multos celebrande per annos  
Candidior semper, candidiorq̄, R E D I !

M. Johannes Weitzius  
Conrector P. C.

F I N I S.

QX Wa 2299

M.C.



ULB Halle  
004 967 47X

3



V077







dum, E  
cantar  
inceps  
randis  
nere ca  
PIET  
strum  
jusq<sub>3</sub> ev  
flagita  
rit? 'L  
testas e  
catione  
rum ac  
vis in e  
Princi  
cis Cely  
esse om  
Saluti  
tantis,  
lificar  
justitia

Sime de  
e, & de  
prospe  
q<sub>3</sub> decer  
DEUM  
um no  
sua cu  
recta ef  
mrequi  
DEO po  
no depre  
gratia  
quibus  
r. Erga  
m. Feli  
nationis  
is, DEO,  
itate, in  
ibus, ve  
q<sub>3</sub> deniq<sub>3</sub>  
flagitat?

Quid-ni

